



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

128 Propterea ad omnia ma[n]data tua dirigebar: omnem viam iniquam
odio habui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

humanitus desiderari possunt, prætulisse. *Cetera*
 Et merito. Hæc enim animū non replent, *inania.*
 sed occupant: nec ad animam, vbi interior
 satietas quærenda, & inuenienda est, per-
 tingunt. Sua autem pernicitate eunt, quo
 eunt, & conscindunt animam desiderijs
 pestilentiosis. Non enim vel ad momen-
 tum stant, sed fluunt, & rapiunt amantes
 suo impetu ad amaritudinem turbulentis-
 simæ falsuginis. At contra, mandata Dei *Heb. 4^o*
 stabiliunt animam, & replent: & quia vs-
 que ad diuisionem animæ, ac spiritus pe-
 netrant, ibi pascunt, ibi nutriunt, ibi sa-
 tiant, vbi fames est. Felix anima, quæ mā-
 data diligit. Nam dilectio onus tollit, gu-
 stum reddit, palatum renouat: ad internam
 experientiam, & satietatem ducit.

128 Propterea ad omnia mandata tua
 dirigebar, omnem viam iniquam
 odio habui.

BIs est omnia, in Hebræo, vt ostendatur *Dirigebar*
 emphasis. Ad omnia, ad omnia, in- *primo,*
 quam, mandata tua, non ad vnum, aut al- *curfu ad*
 terum, non ad facilia tantum, & quæ dele- *ca.*
 ctant, sed ad omnia etiam aspera, & ardua:
 ad omnia, inquam, dirigebar: id est, recto,
 & facili cursu ferebar. Amor enim ducit,
 & portat. Dirigebar quoque rectissima *Secundò,*
 existimans. Nihil enim in tua lege inue- *rectissima*
 nire potui, quod non rectissimum, atque *iudicans,*
 æquis-

Tertio,
ad ea me
frangens.

equissimū iudicarem. Dirigebar etiam ad mandata tua omnia, me ipsum ad ea quasi ad normam dirigens, & complanans. Cūque ipsa rectissima sint, ego curius, non illa ad meam curuitatem inclinare iuxta voluptates, & voluntates meas conatus sū, sed me ad illorum normam, ac rectitudinem dirigere. Quam infelix anima, quæ non prauitatem suam ad tuam accommodare, & inclinare rectitudinem, sed vano sensu, stultoque labore regulam, qua rectificanda est, curuare nititur?

Quarto,
pro scopo
intuens.

Quin etiam dirigebar ad mandata tua, tanquam ad scopum omnes cogitationes cordis mei, illuc studens collimare, vbi & scopus, sanctificatio; & fructus vita æterna est.

Quinto,
tanquam
brauium
appetens.

Dirigebar etiam ad omnia mandata quasi prospero cursu, & victrici pugna illa exequendo, & perficiendo obtinens. Quomodo & salus dicitur directa in manu quorundam: & Iacob cum Angelo luctans, directus dicitur cum Angelo, id est, prosperè luctatus. Cum enim non fiat sine pugna obseruatio mandatorum tuorum, quippe carne, & hostibus reluctantibus, rectè qui te adiutore in hac obseruatione victor euadit, directus dicitur; cum præsertim & ipse prosper euentus tuæ directioni tribuendus sit. His itaque modis omnibus ad omnia, proxsus ad omnia mandata tua dirigebar.

Vnde

Vnde & consequenter factum est, vt, qui ad mandata tua omnia dirigitur, omnem viam iniquitatis odio habeat. Non enim possunt hæc duo simul esse, vt & rectitudinem voluntatis, & mandatorum tuorum diligam, & non ex animo omnem viam iniquitatis, id est, tortuositatem execrer, & implacabili odio persequare. Nam sicut aurum, & lapidem pretiosum si diligerem, odissem profectò quicquid mihi talium rerum damnum posset inferre: ita, quoniã tua mandata diligebam, iniquitatis viam odio habui: & quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum declinaui, vbi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longè inde velificat, qui in ligno Crucis cum mandatorum diuinorum mercibus nauigat.

Qui ad
mandata
dirigitur,
odit viam
iniquita-
tis.

☐ Phe, id est, Os.

Octonarius XVII.

129 **M**irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

131 Os